

mai grad. 11. fere: Nostro deniq; tempore grad. quasi 16. Constat igitur, huius stella declinationem septentrionalem semper incrementum suscepisse, quoniam nimirum existit in medietate sphaerae, quae a principio  $\gamma$  per  $\nu$  ad principium  $\xi$  porrigitur. Similiter Alhabor, quae nunc dicitur canis maior, (est enim haec stella in ore canis maioris, & tempore antiquorum existebat in eadem sphaerae medietate) tempore Timocaris habuit declinationem australem siue meridionalem grad. 16. min. 20. Tempore deinde Abrachis grad. 16. dimittat: Tempore deniq; Ptolemai grad. 15. min. 35. Vbi etiam perspicuum est, semper decreuisse declinationem australem: At vero hac nostra tempestate, quoniam eadem stella reperitur in altera sphaerae medietate, habet declinationem australem grad. 16. fere. Vbi manifeste perspicitur, eandem declinationem australem iam iterum crescere. Postremo (plura enim huiusmodi exempla inuenies apud Ptolemeum, & Ioan. de Regiom.) Azimech, quae appellatur spica  $\eta$ , habuit apud Timocarem declinationem septentrionalem grad. 1. min. 24. Apud Abrachim solum min. 36. Apud Ptol. vero habuit declinationem australem min. 40. Nunc autem reperitur habere declinationem australem grad. 8. min. 20. fere: Ex quo exemplo liquido constat, huius stella declinationem septentrionalem (quoniam nimirum existit in ea sphaerae medietate, quae comprehenditur inter  $\xi$  &  $\gamma$  per  $\nu$  procedendo) semper decreuisse, meridionalem vero auctam fuisse. Ex his omnibus porro exemplis perspicue intueri licet, maiorem uarietatem declinationum accidisse prope Aequinoctialem circulum, quam apud tropicos. Firmissima ergo demonstratione collegerunt Astronomi, stellas fixas proprio motu ab occidente in orientem ferri, non quidem super polos mundi, sed super alios distinctos polos; alias enim haberent semper eandem & inuariabilem ab Aequinoctiali circulo declinationem, quod cum obseruationibus Astronomorum pugnat.

ET QUONIAM cognouerunt stellas fixas, licet variant, ut dictum est, declinationes ab Aequinoctiali circulo, eandem tamen semper obtinere latitudinem, hoc est, eandem distantiam ab eclipctica linea, quae per medium Zodiacum transit, ut ex eorundem Astronomorum obseruationibus constat. Semper enim  $\gamma$ . g. stella, quae vocatur Arctophylax, seu Arcturus, deprehensa est deflectere ab eclipctica versus septentrionem grad. 31. min. 30. idemq; proportione quadam in alijs  
Stellis